



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,  
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz  
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 1. An pro veniali possit pura creatura satisfacere?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

## Punctum Difficultatis I.

*An pro veniali possit pura creatura satisfacere?*

Non est quæstio: An possit satisfacere pro veniali creatura pura, hoc est viribus naturæ, sed an possit satisfacere viribus gratiæ? Necitem est quæstio: An possit satisfacere pro veniali, quod conjungitur mortali alicui, supponitur enim non posse satisfacere, eo quod satisfactio debeat fieri per opus perfectum à persona grata; non est autem persona grata, is, qui est constitutus in mortali. Procedit ergo quæstio de venialibus quæ talibus, & secundum se; An scilicet pro illis pura creatura viribus gratiæ, satisfacere possit?

DICENDUM est. *Pro venialibus à pura creatura, non digne satisfieri posse*: seu quod idem est, venialia non esse infinita in ratione offensæ. Est conclusio quam docet Suarez hic disp. 4. Sect. 9. Lugo disp. 5. Sect. 7. Amicus disp. 5. Sect. 6. contra Petrum Sotum de Institutione Sacerdotum, Lect. 19. Raynaudum lib. 3. de Christo n. 100. Nicolaum Lancicium, Tomo 2. Opusc. 16. num. 24.

PROBATUR I. *Authoritate S. Thom. ex I. 2. q. 72. a. 5.* Ubi S. Thomas dicit, quod veniale se habeat sicut ægritudo, mortale sicut mors; jam autem æger potest se reducere in pristinum statum, licet mortuus, non possit se revocare ad vitam. Ergo & peccans venialiter, potest se reducere in pristinum statum, licet non possit id facere, mortaliter peccans. Dicit item ibidem S. Thomas mortale habere se, sicut errorem circa principia, quæ negans, imperfuasibilis est; peccata autem venialia habere se, sicut errorem non circa principia, circa quæ non errans, potest se corrigere ex principis. Ergo & peccans venialiter, poterit se ex gratia restituere, cum id non conveniat peccanti mortaliter. Unde etiam per S. Thomam veniale non postponit Deum tanquam ultimum finem, postponit mortale, per eundem; item mortale non est contra charitatem, sed contra charitatis fervorem.

PROBATUR 2. Quia sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita nec infinitanda; nulla autem infinitandi venialis necessitas, ut videre erit in solutione argumentorum.

PROBATUR 3. Tum quia non esset ratio, quare pro veniali non possit satisfacere pura creatura viribus gratiæ, nisi quia illud veniale esset infinitum in ratione offensæ; sed non est. Vel enim infinitas illa quam adstruis in veniali est talis & tanta, qualis & quanta competit v. g. actui amoris Dei, vel est major & specialior? Si est, tanta & talis, quanta & qualis competit actui amoris? Ergo actus amoris saltem multiplicatus & intensior, erit pro veniali condigna satisfactio; nam infinitudo unius est talis, & tanta,

qualis & quanta infinitudo aliûs, certè tamen hæc infinitudo nulla est, aliàs beati dicerentur habere singuli infinita merita, quod non dicitur; licet infinitatem quandam tribuat amor Tannerus disp. 1. q. 2. n. 282. Quod si infinitas illa venialis, non est talis qualis competit v. g. actui amoris, quæro, vel est tanta ac talis, qualis competit peccato mortali, vel non est tanta? si est tanta: verum quidem est, quod pro illo æquè ac pro mortali condignè satisfieri non poterit, sed nego illam esse tantam; nam & esset illa jam venialis offensæ, ut supponitur, & non esset venialis, quia esset jam tam gravis, atque gravis offensæ mortalis, cum jam utraque haberet idem taxativum infinitum, haberentque jam æqualitatem in ratione principali, quia reliqua omnia in mortali ad æquabilia sunt, sola offensæ inadæquabilis.

Quod si dicas non haberi in veniali æqualem infinitatem ei quæ debetur mortali, & tamen veniale habere infinitatem. Contra erit, quia quæro quam illam habet, quæ neque sit talis qualis est in actu amoris, neque talis, qualis in offensæ mortali. Rursus sine necessitate multiplicas & ad placitum, infinitudines; imò si non est æqualis illa infinitudo, veniali competens, infinitudini mortalis, nec erit jam infinitudo: quia unum infinitum in eodem genere, non est altero majus; quod quidem vel maximè procedit, si utriusque ratio infinitativa sit eadem & eodem modo applicata, hic autem eadem dignitas infinitaret, & quali modo ad infinitandum minus applicaretur, explicari non potest. Tum quia, si veniale est infinitum in genere offensæ, sequitur veniale unum etiam minimum, esse æquale omnibus peccatis mortalibus; sicut unum meritum Christi, est æquale omnibus illius meritis. Neque valet si recurras ad rationes alias distinctivas; hæ enim erunt non nisi in ratione materiali: jam autem etiam inter opera Christi, est inæqualitas in ratione materiali, & tamen hoc non obstante, unum meritum, est æquale simpliciter omnibus, quia in ratione principali, hoc est infinitativa, æqualitatem habent; Ergo idem in præsentī dicendum esset. Tum quia hoc, quod est peccatum veniale esse infinitum ex eo, quia est contra personam infinitam, dupliciter capi potest. Imprimis, quia est materialiter contra personam infinitam, hoc sensu, quia in eo sibi displicet persona infinita; ubi ly materialiter, construitur cum ly *contra*, non autem cum ly *Persona*; quæ si est infinita, est formaliter infinita. Deinde potest esse formaliter contra personam infinitam, quia scilicet illius indignitatem taxat & aggravat, suâ excellentiâ infinitâ. Si primo modo sumatur infinitudo, hæc quidem habetur; quia si quærat ex Deo; displicetne tibi veniale, qui es persona infinitæ excellentiæ? Respondebit Deus, affirmativè. Sed hæc displicentia non arguit infinitatem, nam etiam Deus interrogatus, complacensne tibi in

bi in hoc minimo opere bono, quies persona infinita? Responderet, complaceo: & tamen hoc non arguit infinitatem, cuius etiam ratio est, quia in hac priore acceptione, significatur sola habitudo ad Deum, tanquam ad objectum; præcisâ autem talis habitudo, non arguit excellentiam vel deteriorationem. Si secundo modo sumatur infinitudo, hæc non habetur in veniali: quia illud non taxat Deus dignitate suâ infinita; illa enim taxatio non est accipienda, quasi fiat inanimato modo, hoc enim coincidit, cum ly *contra, materialiter*; sed est taxatio animata & intellectualis, quæ non potest esse respectu venialis; idque ideo quia etiam in materialibus, quæcunque displicentia, taxare suâ excellentia, esset disordo operandi. Deinde, interrogatus Deus æquè ne indignetur veniali ac mortalibus? non posset respondere, æquè; quia hoc ipso de jure tur veniale à ratione venialis; quomodo enim est veniale, ita aggravatum? Denique quia possibilis est contraventio infinitæ dignitati, non nisi materialiter, & non procedendo ad hoc, ut taxetur infinita excellentia, quæ enim est in hoc implicantia? non esset autem impossibilis, si etiâ venialia taxarentur dignitate infinita divinâ.

OBJICITUR 1. Gravitas injuriæ & offensæ sumitur ex dignitate offensi, satisfactionis verò excellentia, sumitur ex dignitate satisfaciens; sed in peccato veniali offenditur excellentia infinita, & satisfactio ponitur à persona finita: ergo illa satisfactio non esset æqualis.

RESPONDETUR. Veniali peccato offendi dignitatem divinam, ita ut taxet suâ dignitate illam offensam: Nego antecedens, ita ut non taxet: Concedo antecedens, vel, est illic offensâ materialiter contra dignitatem divinam, non autem formaliter.

OBJICITUR 2. Veniale est immediatè contra voluntatem Dei, est enim contra prohibitionem Dei, ergo est immediatus contemptus Dei quantumvis levis.

RESPONDETUR. Si est contemptus levis, hoc ipso non est taxatus ab infinita excellentia; adeoque nec infinitus in genere offensæ.

INSTABIS 1. Ut mortale sit contra voluntatem Dei, non est necesse, ut expressè intendat peccans facere contra illam; sed sufficit facere id, quod est prohibitum. Ergo etiam veniale sit contra voluntatem Dei, sufficit ut peccans, intendat facere contra illam.

RESPONDETUR. Concedo totum, sed nego, si peccans venialiter faciat contra prohibitionem Dei, esse idem taxandum, ipsâ excellentiâ divinâ.

INSTABIS 2. Etiam veniale est contra amicitiam Dei.

RESPONDETUR. Etiam permisso, quòd veniale sit contra amicitiam Dei, negabitur ipsum illud taxari ab excellentia infinita, adeoque esse infinitum.

INSTABIS 3. Persona Regis potest leviter

& graviter offendi, ergo & divina. Rursus, Rex offensus in bonis extrinsecis, offenditur in sua persona: ergo etiam & Deus in bonis extrinsecis, hoc est in fervore charitatis offensus, offenditur ipse in persona.

RESPONDETUR, quoad 1. Negatur quòd Persona Regis leviter offendi possit, si offensam taxet regalitate. Quoad 2. potest rex interdum in suis bonis offendi, sine ulla offensione suæ personæ; ut cum aliquis regi solidulos duos accipit, hæc offensâ sistit in illis bonis extrinsecis, nec taxatur regalitate, illique ad æqualitatem satisfieri potest, etiam à plebejo, per restitutionem. Secundò, potest offendi ita, ut non sistat offensâ regia in extrinsecis Regis, sed progrediatur ulterius ad contemptum Regis; ut si quis Regi in folio sedenti, eripiat diademam; hæc injuria non sistit in sola ablatione boni illius externi, sed progrediatur ad contemptum Personæ Regiæ. Sic etiâ in Theologicis, potest fieri offensâ, ratione extrinsecorum Deo, & hæc erit venialis: si autem cum contemptu Personæ divinæ, erit mortalis.

OBJICITUR 3. Si pura creatura potest satisfacere pro venialibus, ergo remissio illorū non erit ex misericordia Dei, cum tamen ex sensu Patrum etiam venialium remissionē petamus, dicendo: Dimitte nobis. Rursus non esset nobis necessaria ad hoc passio Christi, cum tamē pro omnibus peccatis credatur Christus satisfecisse.

RESPONDETUR. Remissionem venialium adhuc esse opus misericordiæ, indiguisseque Christi redemptione, quia non potest à nobis satisfactio condigna poni, nisi viribus gratiæ, quam dat nobis non nisi misericordia Dei. Rursus cum omnes gratias habeamus ex Christo, ad easque habendas, indigemus ejus redemptione, indigemus illâ, etiam ad gratiam, ex qua condignè satisfaciamus, deinde ex hoc adhuc argumento, in remissione venialium indigemus misericordiâ Dei, quia illas ipsas satisfactiones posset Deus alio titulo exigere à nobis, & ad hunc titulum vindicare, hinc quod non vindicet misericordia ejus est.

OBJICIT 4. Raynaudus. Injuria per vilem hominem irrogata Personæ infinitæ dignitatis, est improporcionabilis per satisfactionem Personæ vilis, atqui peccatum veniale est propria injuria Dei, est enim essentialiter peccatum, ad cuius quidditatem pertinet esse injuriam.

RESPONDETUR. Majorem esse veram de injuria gravi & taxata illa dignitate infinitâ, non autem de injuria levi, quæ illâ dignitate non taxatur.

INSTABIS 1. ab autoritate Salviani, qui lib. 6. sic habet. *Nihil leve æstimetur quo Deus laeditur*, adducit & Lancicius autoritatem SS. 4. Canonizatorū, inter quos, S. Patris Nostri IGNATIUS, infinitatem hanc etiam veniali tribuentis.

RESPONDETUR. Salvianum agere quòd nihil sit leve si taxetur dignitate divinâ, sed non negat aliqua non taxari; nec debent verba illius,

lius, ut sonant, accipi, quia auferrent distinctio-  
nem peccati gravis & levis, adeoque mortalis &  
venialis, quam tamen adstruit Tridentinum.  
SS. Canonizati fortè solum loquuntur, quòd  
peccatum illud, sit infinitum nonnisi termina-  
tivè, & quòd fiat materialiter contra infinitam  
dignitatem divinam; non loquuntur autem de  
infinitate rigorosa, quæ oriatur à taxa ab infini-  
ta persona divina.

INSTAT 2. Veniale est re ipsa peccatum sim-  
pliciter, quamvis per comparisonem ad mor-  
tale dicatur peccatum secundum quid: Ergo  
etiam est verè injuria Dei, quantumvis levis.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Si  
autem est injuria levis, hoc ipso non taxatur in-  
finitate dignitatis divinæ.

INSTAT 3. Possunt hæc æquiparari inter se,  
mortale & veniale in ratione offensæ, quamvis  
gravitate differant.

RESPONDETUR. Si mortale & veniale  
æquiparantur in ratione offensæ, æquipa-  
rantur in Principali, nam in mortali hoc est  
principale, quod inadæquabile ulla vi crea-  
tæ; jam autem sola ratio offensæ inadæquabilis  
est, nam ratio malitiæ, advertentiæ, voluntarii,  
possunt bonitate actus creati æquari. Si autem  
veniale cum mortali in ratione principali con-  
veniunt, hoc ipso simpliciter erunt æqualia;  
nam ratio talis simpliciter, cæteris paribus, à  
principaliori desumitur. Si autem simpliciter  
mortale & veniale sunt æqualia; hoc ipso ve-  
niale non esset leve, adeoque nec veniale.

OBJECIT 5. quidam. Puram creaturam non  
posse condignè satisfacere pro veniali, prout est  
injuria Dei personalis, est communis Theolo-  
gorum, teste Ragusa, ex D. Thoma 3. parte. q. 1.  
a. 2. ad 2. Ubi universaliter de peccato loquitur.

RESPONDETUR. Negando hanc esse com-  
munem Theologorum sententiam, nec enim  
citantur quinam sint illi. Schola Scotistica te-  
net etiam pro mortali à pura creatura posse fieri  
satis; ex nostris Lugo, Ripalda Vasquez, & re-  
centiores, ut Esparza, putant etiam mortale non  
esse infinitum; & si id non est comune de mor-  
tali, quomodo erit de veniali. Ex Thomistis Na-  
zarius negat mortali infinitudinem, quomodo  
ergo illam tribuit veniali. S. Thomas agit inibi  
de mortali, quia loquitur de peccato, quod de-  
struxerat genus humanum, quod certè non erat  
veniale. Rursus iste terminus, *Injuria personalis*,  
indiget explicari. Si enim hoc significat taxari  
veniale dignitate divinà infinita, jam est hoc su-  
pernegatum.

INSTAT. Satisfactio puræ creaturæ pro ve-  
niali, est à persona vilissima, exhibita, personæ  
infinitè dignæ.

RESPONDETUR. Quòd fiat illa satisfactio  
personæ infinitè dignæ, sed non taxanti dignita-  
te suā offensam levem. Quòd autem dicitur,  
peccatum veniale non inducere infinitam mali-

tiam ex modo specifico offendendi Deum, sed  
solum ex modo generico: id ipsum negatur;  
quia ut sic peccatum, non taxatur infinitudine  
personæ divinæ.

## Punctum Difficultatis 2.

*An sit possibilis satisfactio puræ creaturæ pro  
alieno mortali, & an gratia possit esse principium  
merendi alteri gratiam?*

EX dictis colligitur conclusio, & ratio, quòd  
pura creatura pro alieno mortali non possit  
satisfacere ad æqualitatem, quia non potest po-  
nere infinitam satisfactionem. Sed restat hoc  
decidendum, an id etiam ex eo titulo repugnet,  
quòd gratia non possit esse principium elicti-  
vum, & dignificativum satisfactionum, nisi in  
subjecto, & per ordinem ad subjectum in quo  
reperitur? Et quidam negativam inter alios te-  
net Vasquez. Pensanda erunt argumenta utri-  
usque partis.

### ARGUMENTA

#### *Partis affirmantis.*

ARGUMENTUM 1. Quia tota ratio, cur gra-  
tia unius sit principium merendi gratiam alteri,  
est; quia ipse qui meretur, indiget sibi illà gra-  
tiā; non est autem ratio, cur non possit purus  
homo, creari cum plenitudine gratiæ, imò cum  
visione beata, ita, ut jam non posset sibi prome-  
teri per sua opera aliquod gratiæ augmentum:  
sicut Christus Dominus, defacto, non poterat  
augere suis meritis gratiam suam habitualement;  
quo casu, non est ratio, cur ille non possit alteri  
mereri.

RESPONDERI potest, negando causalem,  
quod ideo non possit unus mereri alteri, quia  
ipse indiget illo merito, sed quia conditio gratiæ  
est, ne mereatur nisi habenti.

ARGUMENTUM 2. est. Gratia quamvis de-  
facto sit principium merendi sibi ipsi, nihilomi-  
nus defacto est principium condignè satisfaci-  
endi etiam pro aliis, scil. pro pena aliorum tem-  
porali; Ergo sicut gratia habitualis, potest di-  
gnificare opera justī, ad satisfaciendum pro pœ-  
na temporali alterius, sic etiam posset dignifica-  
re, ad satisfaciendum pro culpa alterius.

RESPONDETUR. Paritatem multum pro-  
bare, quia probaret etiam, quòd defacto unus  
mereatur alteri gratiam, sicut defacto satisfacit  
pro pœna. Disparitas etiam dari potest; quia  
ut possit gratia esse principium satisfaciendi pro  
pœna temporali alterius, exigit id conditio ipsa  
gratiæ; quam talem esse, ostendit nobis etiam  
praxis Ecclesiæ. Quòd autem possit esse gratia  
principium merendi alteri, id nobis, nec sensus  
Ecclesiæ ostendit, nec ratio; deinde videtur  
argumentum procedere à faciliiori ad difficilior  
viā affirmativā; facilius enim est mereri, ne quis  
fustibus v.g. percuriatur, quàm ut evadat filius  
adoptivus.